2

DISSERTATIO MEDICA 2

INAUGURALIS,

QUAEDAM DE

FEBRE MEDITERRANEA

COMPLECTENS.

AUCTORE GULIELMO BURN.

E MORBIS omnibus quibus humanum genus obnoxium, febres, omni aevo, fuerunt facile principes; adeò ut quibusdam medicis placuerit, nullum nisi violenta morte raptum, sine febre vitam unquam amisisse. Utcunque autem haec res se habeat, ex omni parte consensum est, febres maxime lethales esse iis qui sub caelo calido vitam agunt, et eo magis si e regione temperata paulò ante emigraverint. His rebus inductus, breviter disserere decrevi, de ea gravi febre, quae

postremis annis belli nuper ad finem perducti, in oris et insulis Maris Mediterranei, copiis nostris et terrestribus et navalibus tantas strages invexit; haud sane quia mihi persuadeo, me multum novi huic argumento adjicere posse, sed quia optabilius mihi videtur, de rebus quae propriis conspexerim oculis disceptare, quam quae fontibus alienis didicerim.

Hunc morbum talem describere statui, qualem mihi contigit videre Siciliae et Italiae littoribus, quanquam forsitan ibi, nulla in re dissimilis sit, febri quae in aliis locis Mediterranei Maris, eodem anni tempestate, grassatur.

HISTORIA MORBI.

Primo impetu, indicia, accessione febris in hac insula non multum discrepant, nisi quòd magis subito aggreditur, et pede magis incitato ad exitum felicem vel exitialem

tendit, haud secus ac febres fere omnes regionum calidarum.

Languor, lassitudo, et frigoris sensus, saepe cum nausea vel vomitu, aliquando per aliquot horas praecedunt, plerumque tamen dolores acuti spinae dorsi et lumborum, cum rigoribus plus minusve acutis, subito accedunt, quibus breviter supervenit capitis dolor, saepius acutus, interdum obtusus frontem supra orbitas fere occupans. Vultus nunc saepe subito rubescit, cum oculorum rubore, vel lachrymatione, et aliquando intolerantia lucis. Pulsus frequens validus et plenus, interdum autem oppressus et quasi coarctatus, centum vel centum et viginti ictus intra horae sexagesimam partem micat. Arteriae carotides interdum adeò vehementer pulsant, ut oculis tantùm, sine digiti tactu facile numerari possint. Respiratio quoque maxime oppressa esse videtur, cum frequenti suspirio et anxietate. Progrediente morbo aegri saepe conqueruntur de oppressionis circa praecordia et ar-

doris in regione epigastrica sensu, cum tensione et dolore totum abdomen pertentantibus. His indiciis ingravescentibus ventriculus valde irritabilis fit; vomitus qui plerisque exemplis, primo accessu, supervenerat, nunc revertitur, magis magisque augescit.

Cutis plerumque arida et sicca, aliquando sudore irregulari et parum proficiente, circa summum pectus et frontem madescit. Calor fere ab initio morbi plurimum auctus, febre procedente, digitis sensum pungentem plerumque communicat; saepe etiam distributio ejus irregularis est, aliquibus partibus multo magis quam aliis calescentibus. Lingua primò albida, interdum sicca, subinde muco subfulvo tenace obtecta est, versus finem morbi autem, fusca vel nigra. Sitis non semper aliorum symptomatum ratione aucta, sed raro haud valde molesta est. Alvus plerumque per tres vel quatuor dies post accessionem febris, admodum astricta est, et nisi validissimis medicamentis non exci-

tanda. Urina parca et rubra sine sedimento, aliquando cum dysuria molesta redditur, interdum quoque limpida, aquae speciem repraesentat.

Sensorii functiones, ratione vehementiae signorum, in hac febre non turbari videntur; delirium scilicet nisi quum sanguinis impetus caput versus maxime auctus, raro urget; jam tum exinanitionibus, pro tempore saltem, plerumque submovebitur.

Haec signa quae febrem vehementissimam denotant, raro ultra tertiam vel quartam diem perstant, sine remissione vel saltem febris mutatione satis manifesta; hinc plurimi scriptores medici occasionem oblatam, morbum in stadia duo dividendi, arripiunt.

Tertio aut quarto die, si aeger nihil auxilii medicinae adeptus fuerit, vel si id parum proderit, stadium secundum supervenit, signorum vehementiorum recessione certe, sed aliis comitatum haud minus periculi afferentibus. Vires reactionis nunc fere ex-

haustae esse videntur, et febris typum valde dissimilem assumere. Symptomata gastrica, quae febre ineunte apparuerunt, multò asperiora reddita sunt. Vomitus fere perpetuus urget, et materia rejecta ex humore aquoso bile tincto constat, sed rarissime ut mihi videtur, colorem nigrum materiae ejectae febribus intertropicis assumit. Aurigo vel suffusio flava ut plurimùm circa summum pectus et tunicam albugineam oculorum, paulatim artubus extremis sese extendens, nunc primum percipi incipit. Pulsus vigore multum, frequentia paulum vel nihil imminutus, aliquando plenus sed facile comprimendus, digito undulationis sensum praebet. Aeger nunc quasi comatosus jacet, medico interroganti de statu suo, responsa aliena reddit, vel interrogationem haud aequo animo fert. In aliis exemplis, calor naturalis diminuitur, magnaque anxietas et virium prostratio, oppressio circa praecordia, et extremitatum inferiorum dolores, aegros torquent. Delirium autem diu ma-

nens, signum est in hac febre minime commune. Multis intellectus sanus ad finem perstat, de statu suo anxiis, cum animo valde demisso, et oculi graves hebetes moestitiam altissimam designant. Vomitus haud domandus, et singultus tandem urgent, alvus nunc solubilis fit, vel dejectiones frequentes invitae occurrunt; respiratio difficilis impedita, anxietate haud describenda comitata est, pulsus citior et debilior fit, saepe irregularis, cutis relaxata, sudore frigido tenace tecta, subsultus tendinum et extremitates frigidae, mortem instare denotant.

Forsitan vix necesse sit dicere, omnem illam seriem signorum, vel in ordine supra descripto, non semper animadvertendum esse; nam saepe accidit praecipue quum febris minus vehemens ab initio fuerit, actionem febrilem vires redintegrare suas circa diem quintum vel sextum, remissione satis evidente praegressa, nono vel undecimo die, diarrhoea biliosa superveniente, faeces

nigrae magna copia dejiciuntur, et urina turbida, aliquando vix non sanguinea, sedimentum, copiose deponit; quibus excretis omnia ad meliora mutantur, et aeger tuto et cito ad sanitatem redit.

Multum abest tamen, ut descriptio supra tradita ad omnes morbi gradus accommodata sit; nam languor et lassitudo cum vertigine, compluribus diebus saepe adsunt, antequam febris sese aperte ostendit. Primum conqueritur de nausea, vertigine, et capitis dolore, praesertim circa tempora, pulsatili. Pulsus, morbo incipiente, plerumque durus et plenus, raro tamen plures quam ictus centum micans. Vultus fere anxius pallidus et quasi relaxatus, oculi rarissime rubore suffusi, sed nitidi et aquosi, lucis impressioni valde sensibiles. Alvus semper astricta, lingua humida, muco subflavo tenace tecta, marginibus subrubris. Cutis calida et sicca, sudore irregulari, ut in febre graviori raro afficitur. His indiciis protractus ad septimum vel nonum diem,

vel diutius, febris aliqua evacuatione plerumque adeò levatur, ut brevi tempore omnino pellatur; vel si ventriculus magis affectus fuerit, aurigo et alia comitantia signa sese ostendunt, quae hepatis vel aliorum viscerum abdominalium obstructionem portendant, convalescentia diu protracta saepe excipienda.

Sanguinis e naribus, gingivis, et faucibus, profluvium; glandularum parotidarum tumefactio et suppuratio, cum petechiis ante mortem, inter symptomata hujus febris a quibusdam enumerantur; haec autem quum nunquam viderim, e descriptione morbi omisi.

Ab historia morbi huc usque tradita, non mirum videri potest, si inspectione corporis post mortem habita, effectus varii, sanguinis distributionis adeo abnormis, aperte pateant. Rarissime igitur accidere potest, ut vestigia satis manifesta inflammationis vel saltem congestionis, in una vel altera ex tribus magnis corporis cavis non invenian-

tur. Cerebri membranae, plus minusve inflammatae fere observandae sunt, vasaque piae matris plerumque sanguine referta videmus, venas praesertim in sinu longitudinali desinentes. Inter duram et piam matrem effusio lymphae coagulabilis plerumque adest. Substantia cerebri insecta, nihil praeter naturam ostendit, liquidae attamen, plus quam solita et flavi coloris copia, ventriculis lateralibus saepe continetur.

Abdomine aperto, omenti vasa plerumque aliquantò distenta videntur, sed ante alia abdominis viscera ventriculus maximè afficitur; nihilo secius verò quam ex signorum vehementia suspicari posset. Nonnullis exemplis, tunicae villosae superficies interior, maculas vasculosas variarum magnitudinum exhibet, dum in aliis locis tunica abrasa videtur. De hepate nihil certe dici potest, aliquando enim ampliatum, et quasi sanguine exsaturatum, aliàs sine mutatione repertum est. Idem de vesica fellis dici potest, interdum enim bili nigra inspissata, turgida, interdum fere vacua, reperitur.

Quanquam thorax signis morbosis nobis esse magis liber plerumque videtur, quam alia corporis cava; haud raro tamen pulmones solito solidiores inveniuntur, cum adhaesione ad pleuram costalem, et seri effusione in uno vel altero thoracis latere. Haec in posterioribus ideóque frigidioribus anni tempestatibus accidere solent.

DE FEBRIS NATURA ET CAUSIS.

Multum nuper disputatum fuit, inter eos medicinam facientes regionibus calidis, qui sententias suas de febris natura protulerunt, an typus ejus continuus vel remittens est. Celeberrimus Cleghornius in Dissertatione sua de Morbis Minorcae, remissiones et exacerbationes regulares huic morbo attribuit; in alio loco tamen ejusdem tentaminis fatetur, ut circa tempus aequinoctii insignem formarum varietatem assumat, et febres continuas saepissime insimulat. Scriptores

recentiores tamen, has remissiones et exacerbationes regulares, non animadverterunt, et fere consentiunt res aliter se habere. In exemplis gravioribus mihi oblatis, nunquam observare potui ullam remissionem insignem prius occurrere quàm signa vehementiora peracta fuisse. Vires vitales postea aut adeo exhaustae fuisse videntur, ut nunquam ad actionem febrilem renovandum sese satis reddiderint, multo frequentius tamen accidit, febrem vires suas redintegrare non nisi ad crisin, ullo modo insigni, postea remissuram. Vulgo notum etiam, febres in locis paludosis harum regionum occurrentes, primo vere, intermittentes, progrediente aestate, remittentes fieri, tempore autumnali autem in typum continuum tandem transire.* Quibus perpensis, quinetiam quod iisdem causis saepissime oritur, et natura sua minime contagiosa sit forsitan mihi inferre liceat, febrem hanc remittentem esse, tantùm sub forma

---

* Vide Lancisi de Noxiis paludum Effluviis.

graviori accedentem. Ratio quare inter nautas, febris typum continuum saepius induat, fortasse ex hoc solvi potest, quòd ea anni tempestate, qua exhalationes paludosae potissimum pollent, plerumque portum appellant, et actioni earum post intemperantiam vel defatigationem dum quassas rates reficiunt, plurimum expositi sint.

De natura morbi, contagiosa an non contagiosa sit, variae sententiae prolatae fuerunt. Non mihi constat, exemplum ullum hujus morbi, ab alio aliis communicati, exstitisse, quo causae excitantes simul adhibitae, rationem multo magis verisimilem non praebeant. Mihi contigit assidue ministrare aegrotis haud paucis, sub hoc morbo laborantibus, tum in Mari Mediterraneo, et inter insulas nostras Indiae Occidentalis; nunquam autem vidi exemplum, quod contagio planè attribui posset, quanquam inter homines nave inclusos, consortium valde intimum existat necesse est. Nonnulli hunc morbum contagiosum esse contendunt, quia

nutrices et alii aegris auxilium praestantes, febre correpti fuerint; sed rationem magis verisimilem reddi posse mihi constat, quoniam causis excitantibus pariter cum aliis, eodem tempore plerumque expositi fuerint, porrò numeris haud paucis causarum praedisponentium, fatigationi nempe, vigiliis, forsitan et animi sollicitudini anxiae, qualis medico tempore quo plurimi aegrotent, non accidere nequit. In Nosocomiis tamen, et aliis locis ubi turba magna febricitantium congregata est, praesertim si eodem tempore ventilationi et munditiei cura quae debet non adhibita est, vix negari potest febrem aliquando contagiosam factam fuisse.

Morbus hujusmodi, a tempore remotissimo, littoribus hujus maris militantibus, clades horrendas saepe attulit; cujus multa exempla e scriptoribus antiquis adduci possent, nullum autem memoria magis dignum quam id quod exercitui Punicorum evenit, Syracusas obsidione cingenti, quod Livius sic descripsit. ‘ Accessit et pestilentia, com-

mune malum, quod facile utrorumque animos averteret a belli consiliis, nam tempore autumni, et locis natura gravibus, multo tamen magis extra urbem, quam in urbe, intoleranda vis aestus per utraque castra omnium ferme corpora movit. Et primò temporis ac loci vitio, et aegri erant, et moriebantur, postea curatio ipsa, et contactus aegrorum vulgabat morbos: ut aut neglecti desertique, qui incidissent, morerentur, aut assidentes curantesque eadem vi morbi repletos secum traherent.'* Nostris temporibus, strages non multo minus terribiles, in variis locis Maris Mediterranei edidit; exempli gratia, febres epidemicae quae tam saeviter grassatae fuerint Carthagenae, oppido in littore australi Hispaniae sito, et paludibus suis satis superque notabili. Febres quoque Gadibus et Calpes, autumnali tempore saepe grassantes, quamvis de hac re medicorum opiniones multum discrepa-

* Livii Historia, lib. xxv, cap. 26.

runt, et certe haud verisimile est, Calpen causis excitantibus originem praebere, ejusdem generis nobis videntur. Multa suadent febrium naturam, a miasmate paludum orientium, ubique terrarum similem esse, et solummodo inter sese dissentire, a tempestatum genere, tempore anni, vel corporis diathesi, in quibus incidunt. Febris Mediterranea, gradu tantum nequaquam natura, dissimilis febri endemicae quae colonias nostras in Indiis Occidentalibus tam saeviter populatur, et quum homines coelo inassuetos, et diaeta valida animali utentes, adoritur, febribus intertropicis violentia non cedit.

Morbos regionis cujuscunque, coeli aspiratione multum affici, experientia satis docet. Aëris calorem auctum, inter causas huic morbo praedisponentes maximo cum jure haberi ex tempore anni quo potissimùm grassatur, satis apparebit; utpote raro si unquam primùm occurrit, nisi aestate decedente, vel ineunte autumno, et post tem-

pestatem ardore insolito comitatam, maxime saevit.

Juvenes et plethorici, diaeta valde nutrienti et excercitatione violenta utentes, huic morbo magis proclives quam senes vel debiles et languidi sunt, quanquam causis excitantibus profuse admotis, homines omnium aetatum et temperamentorum adoritur.

Intemperantia quaevis, regione calida maxime nociva est; qui nimium genio indulgent autem, citius et gravius ubique locorum aegrotant. Ex omni tempore, notare licet advenas febribus hujusmodi multo magis obnoxios fuisse, quam incolas ipsos; eo magis si ex regione frigida profecti, tempestate anni morbosa, huc pervenerint. Affectus animi deprimentes, sicuti metum et tristitiam, causis excitantibus vim maximam semper praebuisse, nemo ignorat. Timidis quoque febre correptis morbus vehemens fere et periculosus est.

Quod vero attinet ad diathesin phlogisti-

cam, proclivitatem ad hunc morbum praestantem, observare mihi liceat, quod *Annalibus medicinae nauticae valde perspicuum sit, febres hujus generis, classe regia, multo plus nuper quam antea praevalere, temporibus scilicet quibus scorbutus clades tam horrendas classibus nostris intulit. Exortus et recessus morborum ratio, et quare uno vel altero seculo magis praevaleant vel subleventur, adeò obscura caligine tegitur, ut nos certe rem e tenebris educere nequeamus. Ad indagationem hujus argumenti attamen aliquid conferet scire, diathesin scorbuticam obviam ire, morbis omnibus, qui ex diathesi phlogistico, ullo modo pendere videntur.

An febris hujusmodi ab ulla alia causa excitante unquam oriatur, quam paludum vel terrae humidae exhalationibus, adhuc in dubio est inter medicos; quanquam enim morbus in locis paludosis maxime saevit, at-

---

* Vide Medico-Chirurgical Transactions, vol. vi.

tamen longe abest ut iis tantum reperiatur. Cognitione tam imperfecta, saepe difficile est dictu, quae natura sit sitûs, qui proclivitatem inducat in certos morbos, aut qua de causa haec febris magis praevaleret India Occidentali quam Orientali, aut Calpe vel Minorca, quam in aliis locis Mediterranei Maris; nam profecto minime verum est, ut haec loca, magis quam alia, paludum exhalationibus expositi sint. Nemini ignotum est etiam qui in classe regia medicinam fecerit, exempla hujus morbi vel qui ab hoc vix dignosci queant, navibus compluribus mensibus in mari retentis, ideoque nullis exhalationibus terrae expositis, aliquando visa esse. Quum tamen non constet quamdiu harum exhalationum contagium in corpore lateat, e casibus hujusmodi nihil certe deduci potest. Mihi contigit videre nonnullos hoc morbo correptos ubi miasmata vix aliquid valere credi possent, in his exemplis febris omnino continua erat, nec unquam remissionem minimam ostendebat.

In omni aevo tamen, miasmata paludum fontes morborum uberrimi semper habiti sunt, et inter Graecos ars poëtica operam dabat, effectus suos pestiferos coloribus vividissimis depingere. Pythonis fabulam, sagittis Apollinis interempti, verisimile est, nihil esse nisi exaggerationem poëticam effectuum noxiorum hujusmodi exhalationum, ex loco palustri orientium, solis radiis demum exarefacto. Historiam Hydrae etiam, prope lacum Lerniae a Hercule trucidatae, eodem fundamento niti, non absimile.

Natura gasis a decompositione rerum vegetabilium humo paludosâ orientis, a praestante chemia hodierna satis exposita est; attamen longe abest ut ratio qua effectus in humano corpore praestet, eo melius intelligatur, fortasse quia vis ejus morbifera, dotibus nimis subtilibus, a nostris sensibus, vel experimentis chemicis persentiendis, innititur.

RATIO MEDENDI.

Olim diversitas sententiarum tam latissima praevalebat, et adhuc inter aliquos praevalet, de ratione tractandi hanc quam omnes morbos regionum calidarum, qui fere semper morbi, ad debilitatem et putredinem vergentes, habiti sunt, quibus omnes modi depletionis generalis interdici debent. Temporis lapsus autem et experientia sententiam hanc fallacem sensim emendaverunt, et ad notitiam verae naturae febrium hujusmodi, medicorum oculos aperuerunt. Opinionum commenta delet dies, naturae judicia confirmat. Profecto nostro judicio medicina hodierna, aevi praecedentis usum, nulla re magis antecellit, quam methodo emendata, hisce febribus medendi; quamvis nequaquam aliquid novi inest, sed tantum moris vetusti integratio est, qui in mala desuetudine plerumque abierat.

De historia morbi disserens, signa in duo stadia divisa sunt, methodum medendi maxime diversam postulantia, igitur consilia medendi instituendo, ad hoc attentio adhibenda est.

Primo stadio, indicatio est febrem praecidere, vel incitationem auctam temperare, et congestionum topicarum periculum avertere,

Secundo, indicia maxime urgentia levare, vires vitales sustentare, et debilitatis effectus, quoad possumus, obviam ire.

Remedia administrando, primo impetu hujus febris, semper nobis memoria retinendum est, naturam morbi periculosam, rationem medendi aeque determinatam postulare, procrastinatione igitur nihil assequi possumus, febrem autem brevi tempore cursum perficere, et si nihil factum sit ad exitum infelicem plerumque properare. Primo impetu, saltem cùm primùm incitationis auctae indicia plane apparuerint, ad emissionem sanguinis nos confugere oportet.

Sanguis emittendus est, vel e brachii venis, vel arteria temporali, semper autem ab orificio magno, et tam cito quam fieri potest, abstrahi debet. Quum dolor capitis maxime urget, abstractio sanguinis arteria temporali anteferenda est. Si in promptu sint hirudines autem, sanguinis abstractio e venis brachii, et decem vel duodecim hirudines, temporibus applicatae, pariter conveniunt. Commoda magna sanguinem subtrahendi, ex arteria temporali, nuper multum collaudata fuerunt, nisi verò melius sit sanguinem arterialem potius quam venosam emittere, non mihi bene constat, qua in re, haec commoda consistunt. Certe incommoda sua, et haud semper levia, arteriotomia habet; praeterea hoc modo sanguinis satis magna quantitas saepe non detrahi potest. Quod attinet ad quantitatem mittendam, haec multum, ex aetate aegri et viribus, gradu plethorae, statu pulsus et signorum vehementia, auctum sanguinis caput versus impetum indicantium, pendebit. Ple-

rumque necesse est tamen, plerisque exemplis, ut missio sanguinis intra spatium quadraginta octo horarum ab accessu febris, plus quam semel repetatur. Aegrum oportet nos videre omni saltem bihorio, et quandocunque signa febrilia ingravescunt, novi conatus ea superare, statim fieri debent. Tractatio hujusmodi certe non omnibus pariter convenit, aegri autem meae curae commissi, valido habitui corporis plerumque fuerunt, et exinanitiones omnes igitur optime tulerunt. Curatione hujus febris, profectò difficillimum est dictu, quo puncto sanguinis detractio cessare debet; isthaec cùm ita sint, tanto magis effectus dum sanguis effluat nos advigilare oportet. Primo impetu etiam, accessu frigido perstante, sanguinis missio evitari debet, quia hoc tempore vires vitales sic debilitari possunt, ut syncope superveniente, nunquam postea rediturae sint. Post suffusionem flavam venaesectio vix admitti potest, nisi cum maxima cura adhibita, vel cum signa quae eam postulant maxime ur-

gent; hic forsitan hirudines, vel cucurbitulae cruentae substitui debent.

Affusio frigida tam saepe utiliter adhiberi non potest, quam primo aspectu febris, nos sperare liceret; sudores partiales nempe in hac febre saepe adsunt, qui applicationem hanc prohibeant. Qui multum praesidii, ab affusione frigida, in hoc morbo expectant, plerumque spe frustrata abibunt. Haud raro etiam aegro valde injucunda est, cum maxime idonea esse videatur. Lavatio tamen, spongia ex aqua frigida et aceto madefacta, et utilis, et sensibus aegri grata, plerumque reperietur. Ineunte morbo capilli semper abradendi sunt, et capiti lotiones frigidae adhibendae.

Libera et plena catharticorum adhibitio, proximum post sanguinis detractionem, locum tenere debet. Submurias hydrargyri cum jalapa conjuncta, catharticum esse efficacissimum fere reperitur; quanquam aliud quodcunque quod nauseam non cieat, aeque conveniet; quippe magni interest mobilita-

tem ventriculi evitare. Cùm autem alvus plerumque actioni purgantium pertinaciter obstet, fere necessarium est magnam quantitatem adhibere, vel ope enematum emollientium, vim eorum adjuvare. Nunquam mihi contigit videre calomelas, in hac febre, de industria adhibitum ad effectus sibi proprios inducendos, nec credo ullas virtutes peculiares habere, etiam si fieri potest, ut systema afficiatur, gradu febris inflammatorio perstante. Febre decedente haud raro accidit, submuriatem hydrargyri ut catharticum datam, os affecisse; nihilominus in exemplis hujusmodi, convalescentiam magis celerem subsequi non animadverti, quam ubi hoc medicamentum effectus similes non induxerat.

Evacuatione alvi plena inducta, calomelane vel solo, vel cum jalapa conjuncto, ubi ventriculi irritabilitas haud permagna est; portiones parvae repetitae solutionis sulphatis magnesiae ad descensum per alvum conservandum, maximum commodum afferent.

Haec omnia sunt primi stadii remedia, scilicet sanguinis detractio, cathartica, lavatio frigida, et lotiones frigidae capiti adhibitae; omnia fere eodem puncto temporis adhibenda et continuenda sunt, donec febris remiserit, vel in stadium secundum progressa fuerit.

Secundo stadio, sanguinis missio nunc omnino relinqui debet, et sicubi signa congestionis topicae premunt, vesicatoriis vel detractione sanguinis speciali obnituntur. Sola evacuatio nunc idonea est purgatio lenis, quae adhuc adhiberi debet, quòd cavendum est, ne materia aliqua acris in intestinis colligatur, quae et ventriculo et toti corpori valde nocens futura sit. Si dolor vel oppressio circa praecordia urgent, hirudinum applicatio multum juvat. Quando autem vomitus, qui graviori morbo raro deest, aegrum maxime cruciat, haustus effervescentes quibus pauxillum tincturae opii additum adhibere oportet. His vero parum proficientibus ad haustus tincturae opii cum ae-

there conjunctos, vel etiam ad vinum calidum, parvis portionibus, frequenter adhibitum, confugiendum est. In memoria semper retinendum, descensum per alvum magni momenti esse ad vomitum compescendum, et ubi purgantia mitissima haud retineri possunt, enemata cum maximo beneficio saepe utantur.

Quando autem pulsus debilis, et calor parum auctus, vel infra gradum sanitati proprium diminuitur, fomenta calida regioni epigastricae et partibus extremis, vel in tepidario etiam totius corporis immersio, saepe ex faucibus mortis aegrum eripere videntur. Balneum calidum, praeterea quod stimulum maxime salutarem toti generi nervoso impertiat, ventriculi mobilitatem saepe in mirum modum permulcet. Cùm extremae partes membrorum inalgescunt, utres vel ampullae vitreae calida aqua impletae, artubus et plantis pedum adhibitae, haud raro molestiae sensum sublevent. Post febrem gravissimam interdum accidit, ut aeger ani-

mo fere deficiat; tunc vinum calidum vel cum aromaticis conjunctum, caute administratum, donec vires vitales paulisper se refecerint, imprimis utile, imò prorsus necessarium est.

Stadium secundum febris, nullis certis limitibus definitur; plerumque intra septimanam, rarissime intra tres dies signa morbida, convalescentiae signis, cedunt; aliis exemplis quatuordecim dies vel amplius, antequam actiones salutares plene restitutae sint, elabuntur. Ut hoc consilium citius efficiatur, infusum cinchonae vel quassiae, scilicet ut tonum ventriculo impertiant, cujus organi consensus cum toto corpore tam insignis est, magnopere conferet.

Haud raro accidit, febrem recidivam fieri, quod fere semper attribuendum diaetae intemperantiae, vel vini usui liberiori dum convalescant aegri; aliquando autem alvo astricta haud obscure inducta: hinc patet necessitas alvi statum sedulo respiciendi, propterea quod corpore debili et irritabili

ex effectibus febris perstante, aliquid acris materiae, tubo intestinali collectae, et ventriculo et toti corpori admodum erit infestum. Hic etiam notandum est, febrem quae medicinae auxilio praeciditur, ad redeundum multo magis proclivem, quam febris quae totum cursum sine impedimento peregerit.

Nihil adhuc de regimine dictum est. Primo stadio, potus aciduli, vel aqua hordeata fere unica res est aegris concedenda, nihil aliud revera plerisque optatur. Per totum morbi decursum regimen antiphlogisticum rigide observandum est. Secundo stadio fructus maturi subacidi, nisi ventriculi status prohibeat, libere concedere licet. Ad vires sustinendos, vegetabilium glutinosorum variae praeparationes admodum accommodatae sunt; cibus animalis autem, raro si unquam permittendus est, nisi aliqua signa sanitatis redeuntis se ostendant.

Quandocunque viscerum abdominalium obstructiones subsequuntur, quod saepe ac-

cidit, ad hydrargyri praeparationes recurrere debemus; nunc submurias hydrargyri sic adhibita ut oris affectionem levem inducat, imprimis utilis erit.

Coeli mutatio quando fieri potest, ad convalescentiam celerem et stabilem magnopere tendit. Qui ad vitam maritimam assuetus, citius statum salutis usitatum recuperabit, navem conscendendo velaque ventis dando.

FINIS.